



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

54. Philippus Alsarius, Flandriae Comes, & Aduocatus monasterij S. Andreae, prope Brugas siti, an. 1188. tabulis publicis testatur, dictum monasterium à Godescalco Abbe Affligemiensi libertate ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

## C A P V T L I V .

*Philipus Alsatius, Flandriæ Comes, & Adiutorius monasterij S.  
Andreae prope Brugas siti, an. 1188. tabulis publicis testa-  
tur, dictum monasterium à Godescalco Abbe  
Affligemensi libertate donatum &  
emancipatum fuisse.*

**I**N nomine Patris & filij & Spiritus sancti. Ego PHILIPPVS,  
Flandrensum & Viromanduorum Comes, notum fieri in per-  
petuum volo, quod vir venerabilis Godescalcus Abbas Afflige-  
mensis, laudante & assensu præbente Capitulo ipsius, ecclesiam  
S. Andreæ, iuxta Brugas sitam, omnino emancipauit, & quidquid  
in ea iuris habebat vel habere videbatur, omnino resignauit, re-  
cognoscens quod eidem ecclesia licebit in perpetuum sibi Abba-  
tem eligere ex quacumque ecclesia, & electionis semper libertate  
gaudere.

Sciendum etiam, quod eiusdem ecclesiæ Aduocatus & dominus  
ego sum, & rerum iplius, & fratribus ibidem Deo seruientium de-  
fensor perpetuus atque protector: ita ut nulli personæ laicæ liceat  
vñquam in supra dicta ecclesia dominationis quidpiam reclama-  
re, præterquam mihi heredibusque meis.

Hoc igitur ut ratum semper inconuulsumque permaneat, tam  
præsentis scripto paginae, quam mei impressione sigilli, imò sub-  
scriptarum testimonio personarum muniri decreui.

Signum Gerardi, Brugensis & S. Audomari Præpositi, & Flan-  
driæ Cancellarij.

- S. Gerardi Præpositi Insulani.
- S. Willelmi de Tenremunde.
- S. Ioannis Castellani Brugensis.
- S. Euflathij Camerarij.
- S. Gerardi de Gremberghe.
- S. Walteri de Niuarella.
- S. Theoderici Castellani de Dickxmude.
- S. Gerardi de Aldenberch.
- S. Arnulphi de Ghistella.

S. Sigeri

S. Sigeri de Borenhem.

S. Lamberti de Domo.

A&tum in domo mea MALEN, anno Dominicæ incarnationis  
1188. milleſimo centeſimo octogeſimo octauo.

## N O T A T I O.

NIVENELLA) hodie Neuele; Borenhem, seu potius Bornehem,  
celebres Baroniæ in Flandria.

## C A P V T   L V.

*Manumissionis formula apud Flandros ann. 1193. usitata.*

**E**go R. de WAVERIN, Dominus Lilerij & Senescallus Flandriæ, omnibus tam posteris quam præsentibus notum fieri in perpetuum volo, quod Julianam de Frigido manso, & Alburgim de Marasco, & earum progenies, quæ mihi & successoribus meis iugo seruitutis obligabantur, diuini amoris intuitu, & pro animæ meæ & carissimæ vxoris meæ SIBYLLÆ, & antecessorum & successorum meorum salute, liberè manumisi, & eas omnino liberas feci, eisque tanquam liberis abeundi quocumque voluerint, & seque quibuscumque voluerint ecclesijs committandi potestatem liberam concessi; laudante pariter & concedente dilectissima uxore mea SIBYLLA, concedentibus etiam carissimo fratre meo HELLINO, & HILDRADE, & MARIA & ADA sororibus meis; & R. de Senghin & Gosvino patruis meis; & A. de Meallens, & I. de Spineto, amicis meis carissimis.

Ne autem prædictas Julianam & Alburgim, vel earum posteritatem aliquis, sub nomine seruitutis, alia supprimere præsumpsferit exactione, ego & vxor mea, & omnes præscripti successores mei, eas vel earum progenies, à quibuscumque Ecclesiasticis personis manumittendas & sustinendas esse in sua libertate concessimus; rogantes, ut si quis eam infringere vel in aliquo minuere attemptauerit, Ecclesiastica ad satisfactionem compellatur districione.

Quod ut ratum & immutabile in perpetuum permaneat, præsentem tabulam tam sigilli mei appensione, quam testium annotatione communui.

S. P.